

Verus τῆς εἰρήνης στρατηγός, militantis Ecclesiae tranquillitati intentus, non facile credit referentibus, qui nova dum crepant & inaudita narrare gestiunt, saepe falsissima de Doctoribus, locisque, ubi pestis tacite serpat, narrare solent. Notat in Iacobo Capello, aliisque iam tum, hoc vitium Simon Episcopus. Hic namque cum illius legeret controversias, quae foederatum Belgium vexent, idem Capello evenisse, aiebat, quod Gallos habuisse in more, memoret Caesar; *Ex obviis scilicet & advenis sciscitatum esse Capellum, quid ageretur rerum novarum in Belgio? Et credidisse iisdem, qui ad voluntatem illius, ficta falsaque retulerint.*

Summa est in republica lex, nedum in Ecclesia, pia verique tenax tranquillitas, magno imprimis Gregorio Nazianzeno inculcata passim, quum alias Tragoedia nostra hostibus verteretur in Comoediam. Unde quoque factum est, ut Episcopatus effugere intenderent nonnulli, tandem vero receperint, quod sperabant, contentiones sic velut e specula sublimiori observatas, se facilius esse extincturos; ad concordiam alios vix esse adducturum, qui ipse in alios arietet. Alibi Ionae se similem optat, ex Episcopatu, urbeque plane eiiciendum, modo discordiae mare vel sic sedari posset. Seneca nimirum Tragico inferior nulla ratione esse volebat, cui tranquillitas summo in pretio erat:

Iam